DE

NATVRAE STAHLIANAE

IN

CHIRVRGIA IMPOTENTIA

COMMENTATIO

QVA

PROFESSIONEM CHIRVRGIAE PVBLICAM

CLEMENTISSIME SIBI

COLLATAM

AVSPICATVRVS

LECTIONES CHIRVRGIAE PVBLICAS CETERASQVE PROPEDIEM INCHOANDAS

INDICAT

CHRIST. GODOFRED. STENTZELIVS

TORGAVIENSIS

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR AC FACVLTATIS MEDICAE IN ACADEMIA VITEMBERGENSI ASSESSOR.

VITEMBERGAE LITERIS IO. GODOFR. SCHLOMACHII,

I.

PRaeſtantiſſima ac praecipua hominis pars eſſentialis, Anima, diuinae imago potentiae, ſummique ſummum et omnibus numeris abſolutum opus Artificis, omnem admirationis, omnem intelligentiae captum, ſi egregias, quas poſſidet, dotes, ſi ſtupendas, quas ſuſcipit, quas perficit, actiones, ſi eximium, quem uitae humanae praeſtat uſum, conſideramus, excedit, ita, ut merito cum Favorino pronunciare poſſimus, nihil in terra magnum, praeter hominem; nihil in homine, praeter mentem; huius enim ſubſtantiae immaterialis immortaliſque corporis detentae compedibus miniſterio, eorum, quae praeteriti temporis ſenium obliuioni iam tradidit, recordamur, praeſentia percipimus et cognoſcimus, cognita examinamus et diiudicamus, iudicata deſideramus uel repudiamus, futura nonnunquam, quaſi per tranſennam praeuidemus; anima, inquam, ſpiritus diuini proſapia, longe nobilior, longe pretioſior corpore, haud terrenam, ſed coeleſtem agnoſcit originem, ac corpore marceſcente ſeneſcenteque uiget, et quo magis cum annorum incremento decreſcit machinae robur, tanto magis intelligentia, uirtus et ſapientia animae creſcit, imo deſtructa corporis humani uita uiuit perpetuo et ſummae aeternaeque felicitatis nos reddit participes. His ita conſtitutis atque in aprico poſitis, mente captum fuiſſe Aristoxenem, puto, qui rationalem homini uiuenti animam denegans affirmauit, quod, ſicuti in fidibus ex intenſione atque agitatione neruorum efficiatur concors ſonus, quem muſici harmoniam uocant, ita in homine, abſque ullo animae ſubſidio, ex legitima atque artificioſa uiſcerum compage et debito membrorum uigore uim ſentiendi prouenire; en hominem uidentem, audientem, intelligentem, omnis autem ſenſus principium negantem. Oculorum et rationis uſu gaudebat Aristoxenes,

Animae prae corpore excellentia.

Animam rationalem negauit Ariſtoxenes.

ſed uidens haud animaduertebat, adeſſe mentem percipientem atque intelligentem, cuius adiumento cernebat et diſcernebat res occurrentes.

Animae nimium tribuunt alii.

II. Quemadmodum autem pernicioſus dicti Philoſophi error ulteriore indignus refutatione nemini haec perlegenti occultus eſſe poteſt, hac pariter ratione alios a recto longe aberrare obſeruamus, qui animae rationali nimium tribuunt partim, partim illius actiones cum corporis functionibus confundunt. Non iam litigabo cum manibus Aristotelis, qui paſſim in ſuis ſcriptis, in ſpecie *lib. I. Polit.* et *lib. I. de animal.* ea occupatus tenetur perſuaſione, quod ab anima omnis in corpore humano motus dependeat, atque eadem ſimile in corpus, quod Dominus in ſeruum, obtineat imperium. Non ſuſpenſus et ſollicitus iam ero de demonſtranda falſitate dogmatis, quod fouit Macrobivs *lib. I. Saturnal.* perhibens, praeter immortalitatem et uirtutis ſtudium, uitam uitalem ab anima rationali corpus mutuari. Haec ſaltem praeſens erit occupatio, hic labor, hoc negotium noſtrum, animae, a corporis, ſeparando functiones, illius in Chirurgia impotentiam cuiuis ob oculos ponere.

Peculiares animae facultates.

III. Vim ſentiendi, cogitandi, intelligendi, reminiſcendi, iudicandi, ſubſtantiae immateriali, menti ſcilicet, tanquam principio, competere, nullus uocabit in dubium, qui ad ea, quae in ſemet ipſo geruntur, ſedulo attendit; accedit his uoluntas, qua quod gratum acceptumque nobis apparet, cupide appetimus, quod uero exoſum incommodumque, auerſamur; nec ſum neſcius, alias praeterea actiones, mixtas dictas, mentis eſſe ſubiectas imperio, uti idem ſatis ſuperque reſpirationis negotio illuſtrari poteſt; interim tamen minime omnis, quae in uiuo, tum ſano, tum aegroto, occurrit functio, functionisque laeſio, atque in ſpecie circulatio ſanguinis ac uita uitalis cum ſecretione animali, ab anima deriuanda; habet enim mens ſuas peculiares facultates, intellectum et uoluntatem, propria quoque ſua munia obtinet corpus,

Diſtinguendae mentis a

pus, quae in mutuo et perpetuo, quam diu uiuimus, ſolidorum in fluida impulſu ac fluidorum ad ſolida appulſu, et hinc proueniente fibrarum motu, ſuccorum circulatione, immutatione, ſecretione et nutritione conſiſtunt; non ideo enim, loquor cum CONNOR, *Euangel. Med. Artic. 15. p. 136.* uiuit corpus, quia ipſi coelitus demiſſus eſt ſpiritus cogitans, neque ideo moritur, quia eadem ſubſtantia cogitans ab eodem recedit, ſed ideo uiuit, quia partes ſolidae ſponte ſua et iuxta neceſſarias naturae leges, ſine ullo animae imperio, a fluidis, et fluida uiciſſim a ſolidis mouentur; et ideo extinguitur, quia utrorumque motus a ueneno, morbo interno, uulnere, ulcere, fractura, aut aliquo alio caſu externo ſupprimitur. corporis actionibus.

IV. Verum enim uero haud operae pretium, rem ſatis claram et dudum euictam pluribus teſtimoniis atque argumentis exaggerare; fruſtraneum penitus laborem ſuſciperem, repetendo ea, quae iam *diſquiſitione de aſylis ignorantiae in Chirurgia et Medicina uſitatis* propoſui, rationibus probaui, experientia confirmaui; nec inſtituti mei ratio permittit his ulterius immorari, illud ſaltem iam demonſtrandum, quod animae in explicandis tam naturalibus, quam praeternaturalibus Chirurgiae phaenomenis, et tam in excitandis, quam curandis morbis externis, attributa a STAHLIO potentia, ſit merum ingenii otioſi et nouatoris titulum affectantis figmentum; allegatus enim autor omnium morborum ad Chirurgos pertinentium, exceptis iis, qui ab iniuria et ui externa inducuntur, originem et cauſam proximam ab animae directione deducit, illorumque medelam ab eodem pariter principio repetit; tumor ita, ſecundum STAHLII mentem, a materia morbifica per animae imperium ad extremas partes ablegata excitatur, anima quoque, non remedia, diſcutit ſtagnantem maſſam, medicamenta uero tantummodo conducunt remouendis obſtaculis, Naturae Stahlianae intentioni aduerſis. Quo autem applauſu et quo rationis atque experientiae ſuffragio Stahlii opinio de animae in Chirurgia potentia.

 pro-

propoſitum Stahlii dogma ſit ſuſcipiendum, rationali morborum externorum indagine inſtituta, uidebimus.

Tumorum exemplo contrarium probatur.

V. Tumorum exemplo Stahlianae ſenſum ſententiae explicaui, ab illis quoque, illorum generatione et medela prima arceſſemus argumenta ad huius ſententiae infirmitatem demonſtrandam. Quamdiu aequalis fluidorum motus, atque aequalis ſimul ſolidorum in omni humanae machinae parte reſiſtentia adeſt, tamdiu homo ab omni morbo interno externoque liber exiſtit, ſublato autem, quod inter dictarum partium actiones debet adeſſe, aequilibrio, motuque aequali turbato aut impedito, affectus diuerſi in diuerſis oriuntur membris; modo enim uaſa fibraeque, ex quibus omnia organa componuntur, nimis rigidae atque anguſtae, modo nimis laxae et amplae; nunc ſanguinis uiſciditas, nunc acrimonia et tenuitas, modo defectus, modo abundantia ſuccorum peccant, unde tumores, eroſiones, ulcera aliaque mala generantur; omiſſa autem reliquorum explicatione, in tumorum generationem et medelam iam inquiramus. Multis excreſcentia et tumor unum idemque ſignificat, et ſub eorum nomine, oedema, ſcirrhus, carcinoma, eryſipelas, meliceris, atheroma, ſteatoma, teſtudo, talpa, natta, lupia, ſcrophula, bubo, ganglion, nodus, callus, clauus, uerrucae, fungus, perniones, polypus, epulis, aneuriſma, uarices, ecchymomata, mariſci, ficus, condylomata, comprehenduntur; dictas uero tumorum et excreſcentiarum ſpecies merito a ſe inuicem diſtinguendas iudico, quae diuerſa nomina, a loco, quem occupant, natali, figura, quam habent, diuerſa, qualitate, qua gaudent, externa, et cauſa, ex qua generantur, uaria, ſortiuntur, ac diſcrepante methodo curari debent. Diſcrimen quoque haud exiguum intercedit inter excreſcentias et tumores; tumor quippe praeternaturalem partis cuiusdam uel totius machinae dilatationem denotat, excreſcentia uero eſt noua penitus moles ex particularum, uiſcoſarum, ſalinarum et terreſtrium combinatione orta, quae, quam diu uaſis, in quo continetur, ma-

Tumorum ſpecies.

Differentia inter tumorem et excreſcentiam.

magnitudinem haud excedit, in ſenſum uiſus non incurrit, quando autem illa receptaculi capacitatem ſuperat, praeternaturalis illius contingit dilatatio, et hoc modo excreſcentia tumoris conſtituit cauſam. Ad excreſcentiarum itaque claſſem referendi polypi, ſteatomata, atheromata, meliceriides, calculi, ad tumores uero reliqua, quorum ſupra iniecta mentio, in quibus omnibus praeternaturale partium augmentum deprehendimus, quo partes iam conſpicuae magis diſtenduntur, ſenſum uiſus uero fugientes, quales tomentoſae arteriarum extremitates, folliculi adipoſi, a ſtagnante intus aggeſtaque materia uiſcida, ſebacea, gypſea, conſpicuae redduntur; ſucci enim craſſi et tenaces, quoniam per rigidos anguſtosque uaſorum conicorum fines libere meare nequeunt, in illis, ſiue maiores fuerint canalis apici, per quem fluere debent, ſiue duae particulae, alias ſolae facile tranſiturae in tomentoſa et conica arteriae extremitate coeant, et ſic uaſis diametrum ſuperent, ſubſiſtunt; facto autem ſemel cohaeſionis et ſtagnationis principio, ſimilium particularum circulatione ſanguinis eo propulſarum acceſſu mutuoque contactu magis magisque materia accumulatur, accumulata partem, cui inhaeret, diſtendit, tumorèmque conſtituit, qui, ſi tempeſtiue non remoueatur, temporis mora, non maius modo incrementum capit, ſed expreſſo propulſoque etiam in uenas ſocias ſero tenui, maiorem ſoliditatem et duritiem acquirit. Hoc modo in arthritide, podagra, chiragra ex terrearum, uiſcidarum et ſimilium particularum, intra articulorum anguſtias et ſic dictas glandulas mucilaginoſas a CLOPTON HAVVERS *tr. de Oſteogenia* deſcriptas, ſtagnantium coniunctione et coaceruatione, nodoſae concretiones, tophi aliaeque plures excreſcentiarum ſpecies generantur. Pari ratione in lue uenerea, bubones, uerrucae, mariſci, ficus, condylomata ſub alis, in fronte, inguinibus, pudendis aliisque partibus excitata propullulant.

Generatio tumorum.

VII.

Nimia canalium rigiditas, cauſa tumorum.

VI. Omnes itaque res, quae quocunque modo ſuccos condenſant, uaſa contrahunt atque exſiccant, tumorum fauent generationi; obſeruabis tamen nonnunquam ex ſolo ſolidorum uitio idem euenire, uti contuſionum, luxationum et has ſequentium tumorum exemplo patet. Ea pariter methodo, quando ſtamina uaſorum neruea ex gelatinoſi inopia ſucci eadem inuncturi et lubricaturi, uel diuturna et uehementi oſcillatione, aut aridiore et compactiore natiua indole, uel intenſioris frigoris ui rigida atque exſucca omnino euadunt, aucta ſolidorum prae liquidis reſiſtentia, et diminuto primum, deinceps pereunte penitus eorundem motu contractionis et reſtitutionis, humores uariis in locis liberam patentemque haud inuenientes uiam coaceruantur, coaceruati obſtructiones, tumores aliaque his ſuccedentia ſymptomata excitant. Ita in ſenibus fibrarum continuo et diuturno attritu arefactarum culpa tumores duri et difficillimi curatu, in paupere zonae ſeptentrionalis plebe ex niuis et frigidi aeris ſpiculis, quibus nudas committunt partes, pedum tumores cum fiſſuris in exulcerationem demum degenerantes, quos perniones dicunt, generantur.

Idem facit nimia laxitas

VII. Contrarium antecedenti uitium nimia fibrarum laxitas, contraria quoque ratione dictorum morborum chirurgicorum generationem promouet; ſtamina enim neruoſa, ex quibus omnes canales omniaque componuntur uiſcera, nimia ſeri copia imbuta preſſaque relaxantur, flacceſcunt, atque infirma omnino facta legitimam ſe contrahendi uim amittunt, quae promouendo humorum motui et conſeruandae illorum tenuitati neceſſaria eſt; quando itaque uilli uaſorum motrices atque elaſtici, ex limphae, qua onerantur et diſtenduntur, abundantia, ſegnius ſeſe explicant et mouent, ſucci minus atteri, diuidi atque attenuari poſſunt, ſed ob motus progreſſiui tarditatem, fibrae gelatinoſae ramoſiores et grandiores euadunt, mutuoque iunctae conſortio non ſaltem in extremis uaſorum anguſtiis immotae haerent, atque ob-

ſtructio-

ſtructiones, tumores, leucophlegmatiam, hydropem, hydrocephalum, hydrocardiam, herniam aquoſam pariunt, ſed in ipſis etiam uaſis maioribus eorumque principio ex huiusmodi particularum complicatione polypi, ſteatomata et ſimiles excreſcentiae, uti clarius et prolixius *diſſert. n. de ſteatom. in principio arteriae aortae repertis* demonſtrauimus, generantur.

IIX. In tali autem rerum ſtatu dilucide animaduertimus, quod abſque ulla animae directione et determinatione, ſola legum mechanicarum neceſſitate, tumores atque excreſcentiae in diuerſis excitentur partibus; nam, quid hic mens praeſtare poteſt, nihil certe? multum uero, obiicient, Stahlianae praeiudicio doctrinae occupati, illa quippe per motum tonicum materiam uiſcidam cum aliis particulis impuris ad extremas propellendo partes a reſidua maſſa ſecernit; cur uero eandem non penitus excernit? idem, reſpondent, anima non ualet praeſtare, obſtat ſuccorum uiſciditas et canalium anguſtia; hoc autem erat, quod deſiderabam. Nimis arctus itaque uaſis conici diameter remoram atque obicem ponit particulis craſſioribus per idem fluxuris, hinc dictum ſymptoma non ab anima, ſed a laeſa, quae inter fluida et ſolida debet adeſſe, proportione dependet. Nam fide haud uidetur dignum, animam, quam conſilio ſummae prudentiae pleno hic operari ſtatuit Stahlivs, tam abſurdam eſſe, ut materiam uiſcidam ad extremas uaſorum conicorum anguſtias determinando, obſtructionibus, diuerſae tumoribus indolis, in ſpecie ſcirrhis irreſolubilibus, quos praematura mors excipit, anſam ſuppeditet; retinebit potius eadem uiſcidae ſaburram pituitae, ſi imperium in corpus habet, in uaſis maioribus, in quibus libere moueri et ſucceſſiue ſubtiliſari poteſt, uel, quod praeſtantius adhuc, ac mentis officio conuenientiſſimum, ope motus tonici, auctis canalium contractionibus, ſuccos tenaces et craſſiores in minores ac minores particulas diuiſos ad liberam per uaſa minora atque anguſtiora circulationem aptos reddet, aut per poros cutis, uel cribra

Animae in hoc negotio impotentia probatur.

 renum,

renum, relaxato, per motum tonicum, naturae Stahlianae famulum communem, pororum ſecretoriorum diametro, e corpore penitus eliminabit.

I. Speciali hydrocephali exemplo.

IX. Verum, ne ueſtro more, ex meo, quae adduxi, cerebro fingere omnia uidear, ſi plures rationes earumque momenta firmiſſima deſideratis, omnium tumorum ſpeciebus, id, quod indicaui partim, partim probaui, ulterius demonſtrare paratus ſum. A capite ducam initium, in quo praecipua tumorum ſpecies hydrocephalus, qui nihil aliud innuit, quam ob uaſorum conicorum extremitates ab immeabili obſtructas pituita et hinc ſtagnantes circa easdem ſuccos, tenue ſerum per poros laterales ſecedens et coaceruatum, uel ex diſruptis nimia diſtenſione uaſis limphaticis profluens accumulatumque partes laterales et ſuperiores extendendo, inferiores uero premendo, praeternaturalem capiti conciliare magnitudinem, quam ſtupiditas, difficultas auditus, epilepſia et frequenter mors ſequitur, cumprimis, ſi in cerebri ſubſtantia haereat limpha extrauaſata, in qua trepanatio et durae matris inciſio unicum atque extremum eſt auxilium; ſin autem intra cutem et pericranium, uel intra pericranium et cranium ſubſiſtat ſerum, paracentheſi, lanceola uel inſtrumento tricuſpidi, trocart a Gallis dicto, inſtituta, humor ſtagnans remoueri poteſt. Praeterea hoc malum frequenter infantes, qui ſeri uiſcidi abundantia laborant, et uaſa teneriora et molliora habent, quae facili negotio diſtendi, diſtenta rumpi poſſunt, rariſſime adultos, quibus ſtamina uaſorum ſolidiora, affligit.

II. Tumorum, uiſum, auditum, reſpirationem laedentium hiſtoria.

X. Quae cum ita ſint, quis non uideat, inſontem hic accuſari animam, quae totius corporis, in ſpecie capitis deſiderat integritatem. Unde porro tumorum in fronte, genis, totaque facie, origo? unde tumores oculorum, uiſum ualde laedentes? unde excreſcentiae aurium, fungoſae et carnoſae auditum turbantes? unde polypus et ſarcoma narium, olfactum, loquelam et reſpirationem impedientes?

unde

unde tumor et inflammatio muſculorum pharyngis et laryngis deglutitionis et reſpirationis negotium cohibentes? minime ab anima, haec enim ratione praedita tantam abſurditatem haud committet et propellendo maſſam peccantem ad faciem illius pulchritudini turpitudinis inuret maculam; multo minus mens morborum fomitem internum ad oculos, aures, nares, muſculos colli determinando, horum organorum functiones corrumpet, aut penitus deſtruet.

XI. Arceſſit nihilo ſecius horum tumorum cauſam proximam Stahlivs ab anima, affirmans: quod eadem nonnunquam errores committat, ad quos quoque dictarum partium tumores ſint referendi; aſt ita anima nunquam uel rariſſime utitur ratione in excitandis morbis corporis, cum omnes, non tam animae, quam potius machinae errores poſſimus appellare; dehinc animam irrationalem in hoc negotio mihi concipere teneor, rationalis quippe morborum cauſam, ad partes et uiſcera uitae conſeruationi dicata non amandabit. Rationali autem animae tribuit idem Stahlivs, quae hic contra ſanam agit rationem; forſitan tunc corrupta ratio, aut peregre abiit, deſiderans informationem rite dirigendi actiones corporis. *Errores animae patrocinium Stahlii.*

XII. Quo minus uero exiſtimetis, diſtinctione inter errores atque actiones animae prudentes totam rem eſſe expeditam, aliud iam adducam argumentum, ab exemplo bubonum uenereorum, quo Stahlivs ipſe, ad probandam animae uirtutem et prudentiam in conſeruanda corporis ſanitate, utitur, deſumtum; nam a mente per motum tonicum deriuari luis uenereae cauſam ad extremas externasque machinae partes, ne internae exinde labem contrahant, dictus affirmat autor; ſed talpa et liberide coecior ſit, cui non aperte appareat, magnus, quo in experientiam et rationem impingit Stahlivs, error; quomodo enim bubones uenereos pro tumoribus criticis habere poſſumus, cum eadem omnium ſymptomatum incrementum ſequatur, atque ex *Sed inſufficiens, uti probant bubones uenerei*

Et erosio narium.

illorum praeſentia ſummam partium internarum corruptionem cognoſcamus, quae quoque haud tollitur ſublatis, apertis atque expurgatis per remedia externa dictis tumoribus, ſed, niſi luis uenereae fomes internorum uſu remediorum penitus expurgetur, ſaeuit idem interne, uiſcerum ſubſtantiam depaſcit, ſeptum narium erodit, totasque interdum conſumit, et perpetuam omnibuſque obuiam ignominiae maculam relinquit.

Per medicamenta, non per animam curari morbos, indicatur.

XIII. Poſſem hoc loco euagari latius, ac conquiſitis plurium tumorum exemplis meam confirmare ſententiam, ne uero crambem decies coctam proponam, argumenta, quae contra Stahlii dogma methodus medendi ſuppeditat, examinabo. Animae a Stahlio et illius aſſeclis uirtus curandi tumores tribuitur, et medicamenta pro mediis ſaltem habentur, quae medelae impedimenta tollunt; Stahlianis autem, cauſam morbi remouere, et obſtacula ſeu impedimenta auferre, unum idemque ſignificat; quodcunque uero morbi tollit cauſam et materiam, ipſum curat affectum exinde enatum, ſublata ita per conuenientia remedia tumorum cauſa, ipſisque tumoribus diſcuſſis, uel maturatione aut ſectione remotis, facili negotio anima curare poteſt, hoc eſt, nihil agendo, naturae conſeruantis et ſanantis titulo ſuperbire; in tumorum enim cura Stahlii aſſeclae, ea methodo, quam alii commendant, utuntur, nempe reſoluentibus, diſcutientibus, emollientibus, maturantibus, corroſiuis et ſectione. Quem in finem autem ea adhibetis, ex qua ratione tot et tam diuerſa ordinatis medicamenta? cur modo mitioribus, modo fortioribus reſoluentibus utimini? cur nunc refrigerantibus et humectantibus, nunc reſoluentibus atque exſiccantibus, iam corroſiuis, iam ſectione? nullam, aliam poteſtis afferre rationem, quam ad diuerſa remouenda obſtacula diuerſa requiri medicamenta; cum uero per obſtacula ſeu impedimenta ipſas morborum cauſas ipſosque affectus intelligatis, et dicti uocabuli abuſus ſit uobis loco aſyli ignorantiae, optimum

mum erit factu; idem propoſitis aliquot experimentis chirurgicis ex methodo medendi deſumtis illuſtrare.

XIV. Excreſcentias aurium carnoſas et fungoſas difficiles et periculoſas eſſe curatu, ex anguſto et tunica neruoſa ueſtito, in quo reperiuntur, meatu, et membranae tympani uicinitate colligi poteſt; ſi in parte anteriore et liber ad eaſdem datur acceſſus, forfice uel cultello abſcindendae, et ſtypticum acrimoniae expers, ne neruoſa meatus tunica uel tympani membrana laedatur, applicandum. Hac autem ratione ſolo medicamentorum uſu abſque ullo animae auxilio remouentur excreſcentiae, atque auditus uigor reſtituitur. Nec arbitror aliquem tam ſtupidum fore, qui remoto per ſectionem ſteatomate, uel alia ſimili excreſcentia, aut tumore, curam tribuat animae aegroti. Ita pariter carunculam in meatu urinario haerentem, dyſuriam et auriam excitantem, non anima, ſed admota eidem remedia ſenſim ſenſimque conſumunt.

Tumorum ſectione curatorum experimento confirmatur.

XV. Ex his iam perſpicuum et certum, quod pro diuerſa peccantis materiae indole, uarioque ſolidorum uitio, ex quibus tumores generantur, et diſcrepante partium, quas occupant, fabrica, medicamenta ſint mutanda; imo a uaria loci et cauſae conditione dependet, quod alii tumores, aliae excreſcentiae, per ſola remedia interna, alii per externa, alii per utraque coniunctim uſurpata, alii facili, alii difficili negotio et non niſi ſummo periculo poſſint auferri, alii nullam penitus admittant medelam, inſtitutaque ſectione, uel cauſticis applicatis remediis, praematuram afferant mortem. Hoc, ſi obſeruaſſet executor ille, cuius KERCKRINGIVS *Spicileg. Anat.* facit mentionem, qui ad ruſticum perueniens et debitam ab eodem pecuniam exigens, in dorſo aliquoties ab anu uerberatus tumorem auellanae nucis aequantem magnitudinem accepit, ſenſim ſenſimque creſcentem, donec praeterlapſo trium annorum ſpatio ſacci maioris frumento repleti molem ſuperaret, obſecutus prudentum Medicorum conſilio, ſe non commiſiſſet audacis Chirurgi Colonienſis me-

Cur quidam tumores incurabiles.

delae, qui deſcripto tumore aperto, eidem ad aeternam ui-tam aperiebat ianuam.

Cur uenaeſectio & quando in cura tumorum neceſſaria.

XVI. Saepius praeter alia remedia interna externaque maxime proficua eſt uenaeſectio, largaque per eandem facta ſuccorum euacuatio, quando humorum ſtagnatio et tumor a plethora generatus adeſt; praeſente enim maiore humorum quantitate, quam uel cor abſque incommodo capere et rite propellere, uel uaſa arteriarum conica atque elaſtica reciprocis contractionibus per totam corporis machinam libere et promte promouere ualent alueo ſuo iam receptam, uis liquidorum diſtendens longe ſuperat ſolidorum reſiſtentiam et uirtutem ſe uegete contrahendi, ſuccoſque ad ſecretorios organorum tubulos, uenas et uaſa limphatica protrudendi; euenit autem dehinc, ut uaſa nimium diſtendantur, diſtenta priſtinum amittant robur et crepaturam minitentur, ultimis eorum finibus ex copia ſuperius premente ad ſe inuicem redeuntibus, et compreſſis fibris muſculoſis adiacentibus et ſubiacentibus, uaſiſque lateralibus; unde non modo languet muſculorum motus, ſed obſtructiones et tumores in tubulis lateralibus naſcuntur, menſtruus fluxus ſufflaminatur, haemorrhoidalia uaſa conſtipantur, ex quibus alias libere profluebat ſanguis abundans, hydrops, oedematoſus pedum tumor et ſimilia mala generantur.

Animae a Stahlio tributa abſurditas in generatione tumorum a plethora prouenientium.

XVII. In praeſenti caſu, plures, quae animae, ſecundum Stahlianae fundamenta doctrinae, tribui poſſunt, abſurditates occurrunt; habetur enim STAHLIO mens pro uitalium et mechanicarum directore actionum, qui praeſentem, quaeuis eliminando incommoda, tuetur, amiſſam, cauſas morborum remouendo, reparat ſanitatem; iniuriam itaque atque iniquitatem in corpus hic committit mens plethoram admittendo, quam auertere debuiſſet; augetur ſcelus et maior corpori infertur uis praeſentem plethoram non imminuendo, quod per promotam urinae, ſudoris, ſaliuae ſanguinis menſtrui et fluxus haemorrhoidalis ſecretionem

peras

peragi potuiſſet; ſummi denique detrimenti animae euadit autor, ordinarias obſtruendo uias, et ſolennes excretiones plethorae diminuendae inſeruientes ſufflaminando. Cur anima haemorrhoidalia uel uterina uaſa hic non aperit, et per eadem abundantis portionem ſanguinis euacuat, uti ab eadem reſeratis pulmonum ualis, ſecundum STAHLII mentem, haemoptyſis excitatur.

XIIX. Eadem et maior difficultas remouenda eſt a Stahlianis in cura tumorum ſenes affligentium; hos enim difficiles eſſe curatu, imo nullam ſaepius admittere medelam, lippis et tonſoribus notum eſt. Si inquiras in rationem huius phaenomeni, nullam aliam rei ueritati conuenientiorem inuenies, quam ſolida per aetatem continuumque et diuturnum attritum exaruiſſe penitus, nimiumque arida et rigida ad priſtinam flexilitatem et mollitiem haud reduci poſſe, non ſecus ac uidemus in laborioſa plebe, uolas manuum et pedum, aliarumque partium extremitates, frequenti et pertinaciore commotione tenui et nutritia priuatas limpha ſiceeſcere, occalleſcere atque in corneam degenerantes ſubſtantiam nunquam iterum molleſcere. Cum itaque cauſa originalis horum ſymptomatum, quae in nimia partium ſolidarum ſiccitate et rigiditate conſiſtit, haud tolli poteſt, dehinc tumor et quiuis alius morbus exinde proueniens medelae expers eſt, quam tamen ardentiſſimis uotis fruſtra deſiderat atque expectat anima; anima, inquam, natura Stahliana, quae morbos ſanare dicitur, ab aliis hic efflagitat opem, et corpus ab omni conſilio atque auxilio inops derelinquit. Mens, regerunt iterum STAHLII aſſeclae, per organa operatur, iiſdem, tanquam miniſtris ſuarum actionum utitur, his igitur corruptis eorumque tono penitus deſtructo, anima legitimis deſtituta inſtrumentis nihil amplius praeſtare ualet. Cur autem Natura Stahliana tempeſtiue fibris earumque tono non proſpexit, atque eaſdem ſufficiente ſeri copia irrigando in debito contractionis et reſtitutionis uigore conſeruauit;

Cur tumores in ſenibus difficiliores curatu.

Ratio illius phaenomeni.

uauit; quibus demum rationibus eadem commota, dicto ſolidorum uitio iam generato, moleculas ſuccorum craſſiores et maiores in extremas arteriarum anguſtias, e quibus allegatas ob cauſas haud iterum excuti et propelli poſſunt, determinando, ſcirrhos irreſolubiles producit? Inuiti certe animae in dictis phaenomenis impotentiam et principia fundamentaque mechanica concedere atque approbare tenemini.

Cura tumorum per contactum manus mortuae examinatur.

XIX. Aliam autem obiectionem hic mihi iterum a Stahlianis formari praeuideo, ad curam tumorum per contactum Regis Galliae uel manus mortuae peractam prouocantium: *debent utique huc referri*, ſunt uerba Stahlii *diſſert. de ſpontanea morborum excuſſione et conualeſcentia, cap. 2. mirabiles illae demolitiones anomalarum formationum, quando nimirum uel naeui materni recentiores, uel ſarcomata atque excreſcentiae, adhuc in motu generationis, ſeu incremento, conſtitutae, a contactu manus mortuae recte adhibito, actione eiuſdem agentis, quod inconuenientem talem ſtructuram coagmentauit, iterum deſtruuntur et tacite diſſoluuntur atque diſſipantur, licet ſolideſcentis conſiſtentiae exiſtant.* Sed quot reperiuntur aegroti ſtrumis atque aliis ſimilibus excreſcentiis affecti, in quibus fruſtraneo ſucceſſu dictum ſuſcipitur experimentum? Admittamus etiam, diſcuſſionem allegatorum tumorum atque excreſcentiarum eſſe animae terrore perculſae effectum; hoc tamen argumento minime probauit Stahlivs idem peculiari et ſapiente animae directione peragi, qualis enim menti per organa motus idea communicatur, talis a mente in corpus reſultat; cur hoc anima abſque antegreſſo terrore non ſua ſponte peragit, cur non prius, quam tumor fuit generatus materiam immeabilem reſoluit et fluidiorem reddidit? nihil hic aliud regeri poteſt quam hoc in animae uiribus et poteſtate non fuiſſe poſitum.

Vlcera ex tumoribus generantur.

XX. A tumoribus ad ulcerum hos nonnunquam antecedentium quandoque ſequentium explicationem tranſeo; materia enim ſtagnans tempeſtiue non reſoluta, ſero tenu-

cur

cum aere expreſſo propulſoque, ſummam acquirens duritiem in ſcirrhum degenerat, uel ſi fluida extrauaſata aut intra apices arterioſos haerentia non reſorbentur, atque in circulum denuo cum reliquis ſuccis abripiuntur, calore motuque panſa atque expanſa et uaſorum impulſibus ſuccuſſa acredinem contrahunt atque in purulentam maſſam transmutata partes uicinas muſculoſas, neruoſas, uaſculoſas, ligamentoſas, oſſeas, arrodunt, exedunt, deſtruunt.

XXI. Non occupatus iam ero de acrimoniae hic peccantis ſpecie delineanda, nec qualem ſalia acria hic habeant figuram, enodabo, uti fecerunt uiri in naturalium perſcrutatione rerum ſollertiſſimi WILLIS, LISTERVS, FRACASSATVS, GVILIELMINVS, qui ſali communi figuram cubicam, aluminí octoedricam, nitro pyramidalem et priſmaticam, uitriolo rhomboicam, ammoniaco ſali hexagonam cuſpidulam, ſed plurimum uariantem, ſali calcario cryſtallos tenues et longas; parte media parallelogramma et altero triangulari mucronato, altero uero plano quadrato tribuunt; ſufficit, quod particulae acres ſtagnantes, quaecunque etiam illis figura ſit, pungendo, ſcindendo, ſolida corrumpant, eaque erodendo, fiſtulas, ulcera, ſpinam uentoſam generent. *Diuerſa acrium particularum figura.*

XXII. Aer enim ſtagnantibus incluſus ſuccis eousque quietus atque immotus ſubſiſtit, donec calore externo internoque rarefactus, et uaſorum contractionibus ſuccorumque a tergo ſequentium concuſſionibus exagitatus ſe explicat atque extendit, ſuccos nimium atterit, ſalia attenuat et reſoluit, priorem figuram immutat et deſtruit, atque alcali acerrimum producit, a quo fibrae muſculoſae irritatae ſe crebrius contrahunt, auctoque et accelerato motu oſcillatorio attritum partium mutuum intendunt, acrimoniam alcalinam exaſperant, foetentem maſſam generant, ſanguinem nimis diuidunt, ſudorem nimium eumque colliquatiuum proliciunt, diabetem excitant. Dum autem liquidiſſimae partes hac ratione ſecedunt, reliqua coit maſſa atque in offam grumoſam degenerat, quam obſtructiones et ſcirrhi uiſcerum ſequuntur, *Modus, quo producuntur ulcera.*

tur, uti aegrotorum ulcere pulmonum uel hepatis decum-bentium exemplo dilucide conſtat, in quibus praeter allega-torum uiſcerum eroſiones, lienem, pancreas, meſenterium aliasque partes ſcirrho obſeſſas offendimus.

Illuſtratur putrefactione uegetabilium.

XXIII. Egregie hoc illuſtrat rerum ſucculentarum, ſiue ſint animalia, ſiue uegetabilia, in unum aceruum collectarum et libero calidoque aeri expoſitarum putrefactio. Ex-citatur primum in internis cumuli partibus calor cum mul-to madore, cui caloris incrementum in feruorem et ebulli-tionem tandem tranſiens ſuccedit, quibus tota reſidua cu-muli pars accenditur, reſoluitur atque in maſſam pultaceam gangraenae comparandam tranſit, quae maximum de ſe ſpargit foetorem, et putridiſſimo gaudet ſapore. Hanc ſi deſtillatione examines, ac chymicorum adiumento expe-rimentorum illius perſcruteris principia, primum ex eadem leniore ignis ui tractata acquiris ingrati aquam odoris et ſa-poris, priore deinceps recipiente remoto, alioque appoſito et igne aucto, ſpiritum urinoſum accipies, mutato iterum uaſe, in quod per alembici roſtrum ſublimatus deſtillat hu-mor, ignisque gradu adhuc parum aucto, maſſa in cucur-bita contenta ultimo ſal uolatile alcalinum foetidum oleum-que foetidiſſimum ſuppeditabit.

Sal alcalinum in ulcere peccat.

XXIV. His euictis haud dubius haereo affirmare, quod in partium exulceratione peccet ſal alcalinum, idque ſaepi-us illius ſit cauſa, et uice uerſa per putrefactionem genere-tur, augeatur, atque exaſperetur; adeoque in ulceribus ad infringendam ſalis alcalini acrimoniam ulterioremque cohi-bendam putrefactionem acida in auxilium uocanda ſunt, quae hic maxime proficua ſunt, atque omnibus aliis remediis pal-mam praeripiunt. Ad huius rei confirmationem non alle-gabo experimenta uulgaria in culinis uſitatiſſima et mulier-culis notiſſima, quae aceti ſubſidio ſanguinem et carnes an-ſerum aliorumque animantium per longum temporis ſpa-tium a putredine integras non conſeruant modo, ſed iam

prae-

praeſentem quoque putredinem, ſaporemque atque odorem putridum acidis delent atque abarcent condimentis, plures obſeruationes idem probantes in praxi medica occurrunt, atque in ſpecie exoptata uitriolicorum remediorum in praeſenti caſu operatione hoc dilucide conſtat. Eos proinde a legitima medendi methodo longiſſime aberrare animaduertimus, qui in curandis uiſcerum partiumque externarum ulceribus ſalia alcalina plantarum, ſpiritus urinoſos, tincturas atque eſſentias acres cum decoctis ſimilis naturae praeſcribunt. Adeamus libros practicos et uideamus, quae in uariolis commendent remedia; maxima illorum cohors ſic dicta bezoardica, cardiaca, expellentia, acria alcalina, qualia mixtura ſimplex, liquor cornu cerui ſuccinatus, eſſentiae, ſpiritus bezoardici, exhibent; aegroti eorum iuſſu ſtragulis non cooperiuntur, ſed obruuntur, et hac ratione partium ſolidarum attritus nimium augetur, humorum creſcit turgeſcentia, uiſcera interna inflammantur, eroduntur, ſanguis magis magiſque alcaleſcit et uſque adeo reſoluitur nonnunquam, ut diſruptis, quibus uehitur, uaſis, per nares, pulmones, ueſicam aliaſque partes uiam ſibi faciat, et qua data ruens porta haemorrhagiam narium, haemoptyſin, mictum cruentum, funeſta in uariolis ſymptomata creet; quinimo incongrua huiuſmodi methodo medendi efficiunt, ut aucto mutuo ſolidorum in fluida et fluidorum in ſolida impulſu augeatur putrefactio, et uariolae, quae ſibi relictae in ordine diſtinctarum laetiore omine ſubſtitiſſent, confluant et miſere aegrotum corrumpant. Merito dehinc illos taxat Sydenhamivs incomparabilis in dicti morbi omniumque febrium cura Medicus, *tr. de uariol. in oper. edit. Geneu. p. 199.* ſequentibus uſus: ſollicite imprimis cauendum eſt, hoc tempore praeſertim, ne nimium aſſurgat ebullitio, ſiue id fiat ex congeſtis ſtragulis, ſiue ex aere loci, in quo decumbit aeger, igne nimium excalefacto, ſiue ex calidorum medicamentorum et cardiacorum uſu; praecipue uero ab his cauere o-

Acida dehinc proſunt.

Nocent ſic dicta calida remedia.

portet, ſi aeger in aetatis flore conſtitutus fuerit, uel ſanguinem habeat generoſiori potu nimis exaltatum, uel anni tempeſtas aut uerna ſit, aut ſaltem ultra aeſtatis initium non proceſſerit. Ex calido enim regimine, nihil boni naſcitur, ſicut ex praecoci fructu nihil frugi, cum frequenter uſu ueniat, ut uel in phrenitidem aeger prono lapſu ruat, uel quod peioris notae eſt, ſudores ingentes oboriantur, ex quibus partes non ſecerni aptae, neque puris naturae reſpondentes, quod ipſum tamen pus, genuina ſoboles eſt huiuſce excretionis, eliminentur; uel ex cardiacis illis adminiſtratis calidaque cuſtodia, uariolae nimis protruſae in unum confluant, foedo certe ſpectaculo, triſtemque euentum interminanti.

Variolarum exemplo nihil a *Stahlianis* euincitur.

XXV. En αὐτοκρατίαν Animae, dicent hic Stahliani, in conſeruanda ſanitate et curandis morbis multum praeſtantem; excitatur eundem in finem a Natura Stahliana, aſſerent cum Ivnckero *Conſpect. Med. Theoret. Pract. tab. 51. p. m. 331.* febris, ut motibus ſecretoriis atque excretoriis, ultra gradum naturalem auctis materia fermenteſcibilis ulceroſa ad peripheriam corporis propulſa hac ratione elimine- tur. Sed hoc nulli perſuadebit Ivnckervs, qui obſeruauit, quod in pluribus aegrotis paucae, diſtinctae uariolae, cito maturatae abſque uehementibus ſymptomatibus prodeant atque iterum abeant, in aliis e contra cum immani feruore, intolerabili ſiti, magna reſpirandi difficultate, inquietudine et iactatione corporis, conuulſionibus, delirio emergant, et modo appareant, modo iterum diſpareant, liuidi, uiridis aut atri coloris ſint, ipſoſque aegrotos derepente iugulent. Prouti enim notabile hoc ſymptomatum diſcrimen, iam minorem, iam maiorem ſalis alcalini foetidi copiam atque acrimoniam cum uiſcidae ſaburra pituitae iunctam indicat, ita a ſale alcalino rigidiore et copioſiore uehementior cordis atque arteriarum motus, quo ſecundum leges hydroſtaticas, fluida uiſcidiora, craſſiora, irregularia, rigida

Ratio mediocris et uehementioris febris uariolaceae.

non

non ſolum ad inferiores protruduntur partes, ſed motum recta linea motorum perſequi non ualentia ad laterales arteriarum ramos totam corporis ſuperficiem ambientes propelluntur, propulſa ob molem maiorem uaſis diametrum excedentem ſubſiſtunt, cutem eleuant, quae ſe denuo fibrarum neruoſarum ope contrahens infixarum et putreſcentium particularum aciei et rigiditati renititur, renitens rumpitur atque eroditur.

XXVI. Similia, quae externe offendimus, internas partes obſident et depaſcuntur ulcera; interdum paucae uariolae externae conſpiciuntur; econtra uiſcerum internorum ſubſtantia maxima illarum copia ſcatet, uti in ſectione pueri hoc morbo defuncti obſeruaui. A tabo igitur uariolarum internarum deriuandum, quod plures, qui dicto affectu laborarunt, non expurgatis tempeſtiue per infuſum tamarindorum, uel largiorem et ſaepius uſurpatam cremoris tartari doſin, acribus et putridis miaſmatis uariolacei reliquiis, phtiſi pulmonali, hepatica, etc. afficiantur et lenta febri pedetentim conſumti moriantur. Fide itaque haud dignum, quod uariolaceae maſſae propulſio, ab animae directione dependeat, cum maſſa peccans tam interne, quam externe in arteriarum apicibus ſubſiſtat; ſi enim anima hanc excretionem inſtitueret et gubernaret, eadem omnem materiam uariolaceam foras eliminando, internam uiſcerum corruptionem auerteret.

Externe paucae, interne multae uariolae.

XXVII. Clarius adhuc hoc perſpici poteſt ex origine et cura ſcabiei, in qua praecipuum ſuae ſententiae patrocinium quaerunt STAHLII diſcipuli perhibentes, eandem nihil aliud eſſe, quam ſpecimen ſapientis directionis Naturae, qua annitatur, materiam acrem ſeroſam ad praecauendos morbos internos, e corpore remouere; nam ulcuſculis externis per unguenta conſolidatis et ſcabiei reſidua materia retropulſa, internas erodi partes ac grauiſſima ſymptomata excitari, affirmant. Ingenue utique fateri teneor, hunc mor-

Scabies, in qua ſuae ſententiae patrocinium quaerunt, non uero inueniunt Stahliani.

bum quandoque eſſe criticum criticiſque annumerandum excretionibus, nec eo inficias ſuppreſſa hac excretione, internam uiſcerum ſubſtantiam corrumpi, et haud raro exinde phtiſin pulmonalem, febrem lentam tabificam alioſque morbos produci; teſtantur id plures obſeruationes practicae, quarum nonnullas collegimus *diſſertatione noſtr. de rite perquirenda morb. origine ad feliciter, cito et tuto curandum cap. 19. p. 59.* alius quippe in tertianam intermittentem, in continuam alius; alius in cordis palpitationem atque epilepſiam, in arthritidem alius ex retropulſa incaute ſcabie incidit. Ipſemet infelicem ſcabiei per unguenta curatae hiſtoriam in conterraneo, ſtudioſo Iuris hic uidi, qui adhibitis externe linimentis pinguibus a medicaſtro praeſcriptis, cohibito libero materiae acris per poros cutis exitu eiuſdemque ſufflaminata ad peripheriam corporis propulſione, illico difficili reſpiratione, tuſſi, haemoptyſi affligebatur, quibus demum purulentae materiae ſanguine mixtae reiectio, calor lentus, ſudor colliquatiuus, denique maraſmus, tandem mors ſuccedebat. Tantum autem abeſt, ut Stahliani ex hactenus diſputatis animae, in praeſeruandis et curandis morbis, cumprimis externis potentiam euincere queant, quin potius contrarium hic demonſtremus; quemadmodum enim haud conueniunt remedia externa obſtruentia atque adſtringentia, ſi origo ſcabiei in ſanguinis dyſcraſia ſalino-alcalina et ſeroſa conſiſtit, ita, nec diaphoretica, uel alia remedia acria, qualia ſunt eſſentia alexipharmaca Stahlii, pimpinellae albae, fumariae, enulae, ſuccini, ſpiritus et tinctura tartari, decoctum et eſſentia lignorum conducunt, quae IVNCKERVS *l. c. tab. 68. p. 453.* et alii praeiudicio doctrinae Stahlianae occupati commendant; prioribus retinetur in corpore materia acris corrigenda atque e machina remouenda, poſterioribus augetur ſanguinis acrimonia, augentur ulcera externa, atque eorum incremento accedit partium internarum eroſio, atrophia fluxus haemorrhoidalis ſymptomaticus, uel continuus ni-

Non conueniunt in ſcabie obſtruentia nec reſoluentia.

mis.

miſque uehemens ſudor. Proſunt potius in tali rerum ſtatu gummoſa, ſeroſa, nitrata, martialia atque aquoſa ſubacida, qualia ſunt infuſa ex lactuca, portulaca, malua, acetoſa, floribus roſarum, uerbaſci, et ſimilibus parata. Interdum autem origo ſcabiei ab externis deriuanda cauſis, abſque ſanguinis labe et culpa, ut pannifices, pelliones, ſartores, aliique, qui pelles, aut lanam ouium ſcabioſarum, uel pannos ex ea confectos tractant, et manus frequentibus lotionibus non depurant, ſed illas ſordibus et ſqualore quaſi obrutas habent, experiuntur; his minime purgantia, uel alia remedia interna, uerum externa ſaltem praeſcribenda; quae ſalium cuti inhaerentium corruptionem abarcent, poros acri obſeſſos tabo abſtergunt, et cuti priorem munditiem et nitorem reddunt.

XXVIII. Sed quid plura diſputo? quem in finem tam diu immoror ulcerum, quae internas agnoſcunt cauſas, et magis ad Medicos, quam Chirurgos ſpectant, explicationi? nullam aliam ob rationem, quam, ut tum ex illorum cauſis, tum remediis, animae in Medicina et Chirurgia oſtendam impotentiam. Quiuis, cui ueritatis ſtudium curae cordique eſt, ex allegata methodo cognoſcendi, diſcernendi et curandi infirmitates, infirmitatem animae in hoc negotio et uirtutes remediorum appropriatorum animaduertit, fundamenta mechanica agnoſcit, et repudiat aſylum ignorantiae in mente, illius erroribus et directionibus prudentibus a Stahlio conſtitutum. *Quid hic de Stahlii opinione ſentiendum, exponitur.*

XXIX. Mechanica ratione excitari tumores, induci ulcera, cum ſummo animae taedio et corporis detrimento, oſtendimus; mechanica operatione tolli tumorum cauſas, iisque ſublatis, abſque animae ſubſidio, morbum exinde enatum auferri euicimus; euincemus iam quoque idem cura ulcerum chirurgica. Fruſtraneum, hic praeſcribere denuo remedia interna, quae in ulceribus a uitio ſanguinis ortis uſurpanda ſunt, cum antecedentium explicatione hic acquieſcere poſſi- *Methodus curandi ulcera.*

poſſimus. In ulcerum medela puris cumprimis maturatio promouenda, perfecta tamen nunquam expectanda, ſed illico, quando maturitas apparet, abſceſſus aperiendus, et pus collectum euacuandum, reliquum maturandum; neglecta enim tempeſtiua apertione, aegroti non intolerabilibus modo doloribus excruciantur, ſed ſaepius etiam miſere perire tenentur, quod Fabricivs Hildanvs *Cent. I. obſ. 21.* in uirgine Colonienſi animaduertit, quae aperto mature abſceſſu iam maturo, pone aures haerente, non in febrim incidiſſet, atque in uiuis conſeruari potuiſſet. Ante omnia itaque ulcus, cuius tunicam, qua includitur, Natura Stahliana diſrumpere non poteſt, aperiendum, apertum mundificandum, mundificatum ab ulteriore putredine liberandum et ſucceſſiue conſolidandum. Depuratio omnium optime fieri poteſt, aqua roſarum, cui exigua doſis ſpiritus mellis additur, deinceps ulteriori putredini omnium optime unguentum ex uitriolo, ceruſſa antimonii et melle roſarum confectum reſiſtit; uel ſi uehementior adſit corruptio, et nimis ſordidum ſit ulcus, loco uitrioli ſumatur uiride aeris, remedium, citioris et felicioris in hoc caſu effectus.

Damna ex ſuperficiaria ulcerum cura.

XXX. Debitam tamen circumſpectionem in horum uſu adhibeas, ne partes neruoſas et rigidiores laedendo conuulſiones excites; nec partis exulceratae conſolidationem admittas prius, quam ulcus exacte mundificatum, atque omnis materia purulenta remota fuerit, ſuperne enim partes eroſae ſaepius noua ſubſtantia carnoſa a fibris gelatinoſis per motum ſanguinis eo protruſis formata obducuntur, cum interea materia purulenta interne occulta ſubiacentes arrodendo partes, inflammationem, cariem oſſium, febres continuas, conuulſiones et ipſam mortem afferat, quae allegata ex cauſa experta legitur uirgo apud Fabricivm Hildanvm *Cent. I. obſ. 21.*

XXXI.

XXXI. Si itaque exoptatum ſemper in dictorum morborum cura ſucceſſum deſideras, praeter ea, quae iam commemoraui atque inculcaui, probe examinandum, an ulcus, cuius curam ſuſcipis, recens, inueteratum, ſimplex, ſanioſum, ſordidum, gangraenoſum, phagaedenicum, uerminoſum, ſcorbuticum, ſinuoſum ſeu fiſtuloſum, cum hyperſarcoſi, tumore, inflammatione, carie; eadem quippe phaenomena ulcera comitantia, nunc grauiorem, nunc leuiorem ſuccorum et uaſorum corruptionem indicant, et modo mitiora, modo generoſiora remedia ad curam requirunt. In medela ulcerum uerminoſorum antecedentibus adiungenda aloetica, mercurialia et gummoſa, qualia, aloe hepatica, mercurius dulcis, gummi elemi, ammoniacum, quae uermibus enecandis et remouendis conducunt; ulcera ſcorbutica, praeter, externa ex mirrha, alumine, ariſtolochia et uitriolo confecta, per interna, quae ſpecialem ſanguinis dyſcraſiam corrigunt atque expurgant, curanda; hyperſarcoſis, ulceris impediens conſolidationem, alumine uſto, unguento magiſtrali conſumenda, iiſdemque ulterior carnis luxuriantis propullulatio abarcenda; ad ſimplicis et recentis abſceſſus curam, ea, quae *capit. 30.* adducta, ſufficiunt, uel horum loco uſurpari poteſt unguentum baſilicum; ſanioſo conueniunt iniectiones ex aqua aluminoſa cum ſacharo ſaturni iuncta; ulcus gangraenoſum prius ſpiritu uini camphorato cum theriaca ſociato abſterſum gummi elemi et emplaſtrum ſtypticum uel de ladano poſtulat; abſceſſui phagaedenico prius rite depurato puluis ex croco martis, lacte lunae, mirrha et ſacharo ſaturni paratus inſperſus prodeſt. Diuerſae ulcerum ſpecies et illorum ſanatio.

XXXII. Reſtat, ut ſinuoſi, quod fiſtulam uocant, ulceris curam tradamus; idem enim ualde Medicos et Chirurgos diuexat, et praeſtantiſſimorum medicamentorum uſum ſaepius eludit, nec ad conſolidationem peruenit, quanquam anima, impotentiam ſuam in hoc negotio aperto oſtendens teſtimonio, eandem auidiſſime efflagitet. Differunt a reliquis Vlceris ſinuoſi ſeu fiſtulae deſcriptio et methodus medendi.

quis ulcerum ſpeciebus fiſtulae, tum temporis, quo durant, mora, tum aliis peculiaribus phaenomenis probe attendendis; non enim inueterata modo, profunda et ſinuoſa ulcera denotant, ſed praeterea locus externus eroſus, quo patet introitus ad originem abſceſſus, maxime arctus, baſis uero illius et fons ſat amplum habet diametrum calloſis obductum marginibus. Eroduntur autem modo plures, modo pauciores tubuli, interni uel externi, recta uel obliqua procedentes uia, unde quoque diſtinctio in fiſtulas rectas atque obliquas, ſimplices et compoſitas, ſuperficiales et profundas, lachrymalem, ani, uaginae uterinae, ueſicae urinariae, ortum duxit. Optimum factu iudico, ut, ſi externas depaſcitur pus partes, ab internis iam eroſis prodiens, iniectis humoribus ex aqua uitriolica aut aluminoſa confectis, turundam olibano, tutia et therebintina imbutam inſeramus, cauſtica, quale alumen uſtum, ad callum deſtruendum applicemus, uel his nihil proficientibus, cauterio actuali uel ſectione idem perficiamus, et deinceps allegatis adſtringentibus et balſamicis ſucceſſiue eroſos conſolidemus tubulos, antequam malum profundius ſerpens plures erodendo tubulos maius afferat detrimentum, uti haud raro in fiſtulis ani contingit, quae negligentius tractatae inteſtinum rectum perforando feces in peluim abdominis tranſmittunt, et ueſicam urinariam penetrantes lotium ex eadem recipiunt, ac cum excrementis aluinis reddunt.

I. Animae in ulcerum generatione innocentia.

XXXIII. Plura adhuc ſunt, quae occaſione fiſtulae lachrymalis contra Stahlii dogma afferre poſſem, ſed modus eſto his argumentis, cum ex enarratis, tam animae innocentia, quam impotentia ſatis colligi poſſit. Innocens utique eſt anima in ulcerum generatione, quam proxime a mente deducit Stahlivs, cum eadem, inuita et reluctante illa non modo generentur, ſed quoque illas partes ſaepius corrumpant, per quas anima uidet, audit, aliorumque obiectorum externorum motus et uires percipit. Quoties ab ulcere

cere oculorum coecitas? quoties ab abſceſſu aurium ſurditas? ſi de horum certitudine dubitatis, adeatis, rogo, BONETVM, FABRICIVM HILDANVM, TVLPIVM, HORSTIVM, RIVERIVM, DOLAEVM, HOFFMANNVM, uberiorem catalogum obſeruationum anatomico-pathologicarum, idem, quod indicaui, confirmantium, inuenietis. Inuenietis pariter eaſdem examinando, Naturae Stahlianae in dictis malis praecauendis et curandis impotentiam; quam ardenter deſiderat anima ulceris oculos corrumpentis conſolidationem, quam anxie medelae expectat exitum, quam diligenter uſurpat aegrotus ex impenſa animae uoluntate remedia praeſcripta, ſed nihil hic iuuant uota, nihil penitus poteſt mens praeſtare, ſed merum agit ſpectatorem. Certe, ſi in hoc negotio ulla animae uis et poteſtas, eadem materiam acrem in partibus internis haud retineret, retinendoque eandem fiſtuloſa excitaret ulcera, ſed omnem potius foras eliminando, partium internarum atque organorum ſenſui miniſtrantium integritatem conſeruaret.

II. illius in illis curandis impotentia oſtenditur.

XXXIV. Affirmat ipſe STAHLIVS, omnesque, qui illius fauent partibus, eorum morborum generationem, quos externa uis atque iniuria inducit, ab animae gubernatione excluſam eſſe; quae autem, ſi materiam, ſi modum, quo morbi tam ab internis, quam externis cauſis producuntur, indagas, differentia? applicato externe globulo ex calce uiua et ſmegmate hollandico parato, excitatur ulcus, quod fonticulum appellant; perforata in dorſo cute et ſubſtantia muſculoſa, ac transmiſſo per eam filo ex ſerico non contorto confecto, generatur, idem ſaepius horſum uorſum trahendo, ulcus, ſetacei nomine apud Chirurgos notum; ea, nec alia ratione a particulis acribus interne ſtagnantibus et partium ſolidarum fortiore attritu, eroduntur uaſa et uiſcera, quibus profluens ſerum et ſuccus nutritius ſtagnatione corrumpitur, et putreſcit, eo, quo in fonticulis et ſetaceis contingit modo.

Antecedentia illuſtrantur exemplo ulceris externa ui producti.

Remouetur Stahlianorum obiectio ab uſu fonticulorum deſumta.

XXXV. Sed iam animaduerto noua, quae mihi imminent obiectionum tela, a fonticulorum, quem Stahliani praetendunt, uſu deſumta; in his enim, aſſerunt, optimum praeſentis ſanitatis praeſidium conſiſtere, illoſque praeſtantiſſima eſſe media, chronicos et pertinaces curandi morbos; prouocant ad experientiam, optimam artis medicae magiſtram; prouocant ad obſeruationes pathologicas curatae, fonticulorum ſubſidio, cephalalgiae, ophthalmiae, epilepſiae, melancholiae, maniae, phtiſeos, dyſpnoeae, catarrhi ſuffocatiui, paralyſeos, podagrae, chiragrae, mali hypochondriaci, Wepffero, Sylvatico, Marcello Donato, Faventino, Solenandro, Rondeletio, Mercvriali, Caelio Avreliano, Scvlteto, Capivaccio, Clavdino, Diemerbroeckio, annotatas; prouocant denique ad incommoda et mala, quae fonticulorum occluſionem ſequuntur, addentes, ex his manifeſtum eſſe, quod quidem per remedia acria externe applicata ulcus excitetur, materiae autem morbificae ad partem exulceratam affluxum atque effluxum ab animae dependere directione, quae proſpiciens corporis commodis, omne, quod illi aduerſum atque inimicum eſt, ad nouum illud, artis ope conſtructum, ſecretorium determinet; unde quoque occluſo fonticulo, et cohibita acris et noxiae materiae exeretione, conuulſiones atque alia truculenta ſymptomata accerſantur; Nodus hic primo intuitu ualde intricatus uidetur, non tamen Gordium illum exiſtimo, ut opus ſit Oedipo, qui diſſoluat, uel Alexandro, qui diſcindat; ſuae enim ſententiae defenſionem et certitudinem quaerunt Stahliani in experientia, atque eadem noſtrae magis, quam Stahlianae opinionis confirmationi fauet; concipiunt ſibi in hoc negotio Stahlii aſſeclae peculiarem animae directionem machinae proſpicientem integritati, quae minus neceſſaria, nec ullo modo probari poteſt. Non defendam hic principia philoſophiae corpuſcularis Cartesii, quibus imbutus

1. Experientiae ſubſidio.

Mvys

MVYS in *Praxi rationali* exiſtimat, eroſos uaſorum poros et purulenta materia refertos, non aliis, quam putridis et acribus foetidis particulis transmittendis aptos atque accommodatos euadere, reliquas autem moleculas laudabiles circulatione ſanguinis eo propulſas non admitti, ſed abarceri, ea ratione, uti uidemus phlegma ab oleo, cum quo mixtum eſt, filtri, cuius pori aqua repleti ſunt, adiumento, ſeparari: hoc ſaltem monere fas atque aequum duco, quod ſuccus, qui ex fonticulo effluit, purulentus, ſit ipſa limpha partis exeſae nutritia, ſtagnatione corrupta atque in putridam conuerſa materiam, a cuius profuſione, membrum, quod fonticulo corrumpitur, ſucceſſiue contabeſcit. Praeterea plures proſtant obſeruationes, atque antiquis nouae quotidie accedunt, quae fonticulos fruſtra et cum damno excitatos fuisſe, probant; in illis, quos ſequitur morbi antecedentis leuamen, fallacia cauſae committitur, atque exoptatus ſucceſſus, qui fonticulis tribuitur, aliis potius rebus, atque in ſpecie remediis antea uſurpatis competit, uti idem iam *diſquiſ. anteced. aſylorum ignorantiae in Medicina et Chirurgia uſitatorum cap. 48. p. 50.* euicimus. Simili quoque modo non ſemper ab occluſis fonticulis, ſed aliis cauſis, mutatione aeris nempe, recidiua antiquorum morborum ſaepe deriuanda; ac concedamus, ſymptomota, quae occluſos ſequuntur fonticulos, a materia acri purulenta a poris uenarum abſorpta et circulo ſanguinis ad uiſcerum compagem ablegata prouenire; concedamus, uera eſſe, quae narrat RVYSCHIVS *obſeruat. 40.* pertinacem ſcilicet capitis dolorem, admoto ſetaceo, ceſſaſſe, hoc occluſo, rediiſſe, denuo excitato ulcere, rurſus euanuiſſe, iterum coeunte, tertia uice recruduiſſe; concedamus, a clauſis fonticulis, ſecundum CRATONIS a CRAFFTHEIM, RHASIS, HORSTII, LAELII a FONTE teſtimonia, aſthma, podagram, anaſarcam, apoplexiam, aliaque mala, fuiſſe excitata; quid exinde? ex his nunquam animae potentiam, ſed impotentiam in Chirurgia poteſtis demonſtrare; haud aliter enim

II. Rationis adiumento.

enim hic ſe res habet, quam uti in ſuperficiaria ulcerum con ſolidatione animaduertimus, cui eadem ſuccedunt ſympto mata, ſecundum *caput 31.* et hiſtoriam in fine illius ex Fabr Hildano allegatam.

Herniae.

XXXVI. De herniis, illarum differentia, cauſis, mede la, haud multa contra Stahlii dogma diſſerenda; quo enim iure et qua rei conuenientia, herniarum generationem ab a nima deriuare poſſint Stahliani, non perſpicio; multo minus mens aliquid ad illarum medelam contribuit; mate riales et mere mechanicae adſunt cauſae, quibus hernia ex citatur, talia quoque deſiderantur remedia, quae immediate contactu, ſuarum particularum ope, emendent partium ui tia, a quibus origo huius morbi dependet. Omnes autem

I. Diuerſae illarum ſpecies.

herniarum ſpecies ad bubonocelen, herniam completam at que exomphalum referri poſſunt, nam hydrocele, cirſocele pneumatocele et ſarcocele non tam ad hernias pertinent, ſed potius ad ueros et proprie ſic dictos tumores. Frequentiſſi me herniarum origo et cauſa proxima in nimia peritonei la xitate et huic ſuccedente praeternaturali dilatatione, raro in

II. Cauſae.

illius diſruptione quaerenda eſt. Si omentum dilatatae pe ritonei parti ſe inſinuat, atque eandem magis magisque ex pandens tumoris inſtar eleuat, epiplocelen conſtituit; ſin au tem inteſtina, omenti loco prolabantur, et peritoneum di latando inaequale reddant abdomen, enterocele dicitur. His cognitis cognitu facile eſt, quid Chirurgi hic poſtulet mu

III. Modus eaſdem curandi.

nus. nam cum ex allegatis ſatis liqueat, quod peritoneum laxitate naturali maiore laborans cedat nimium omento uel inteſtinis flatuum uel fecum copia diſtentis, hinc adhibitis prius fotibus emollientibus et reſoluentibus, aegroto in dor ſum decumbente, cruribus deductis, omentum uel inteſti na prolapſa reponenda, repoſita bracherio accommodato in conuenienti ſitu retinenda, retenta applicato emplaſtro uul nerario adſtringente firmanda, firmata quietis atque adſtrin gentium et balſamicorum internorum uſu, inter quae cum

primis

primis uinum ſtypticum rubrum cum ſpiritu ſalis, ſecundum experimentum Prioris des Cabrieres commendatur, in exoptato ſtatu conſeruanda, alias ſane, ſi haec temere negligat Chirurgus, aut aegrotus imprudenter contemnat, enormes uomitus, pertinax alui obſtructio, perniciosa paſſio iliaca excitantur, quae non remoueri poſſunt prius, quam inteſtinis in priſtinum ſitum repoſitis. Quandoque inteſtina prolapſa a fibris muſculoſis atque annularibus ſe arctius contrahentibus compreſſa feces, uel chylum, quem continent, exonerare non poſſunt, unde hernia incarcerata, quae, niſi tempeſtiue tollatur, in exulcerationem, cuius exemplum in foemina uidi, uel in paſſionem iliacam degenerat. IV. Incommoda neglectae tempeſtiuae medelae.

XXXVII. Hic quoque breui ſuccinctoque examini ſubmittenda uulnera, quae ſenſu genuino et ſtricto uiolentam partis continuae carnoſae uel membranaceae ſolutionem inſtrumento ſecante, pungente uel lacerante inductam ſignificant, per abuſum uero eadem nonnunquam pro omni plaga externa accipiuntur, et ſaepius cum fractura, fiſſura atque ulcere confunduntur. His autem omnibus derelictis, tanquam a ſcopo noſtro longius remotis, Chirurgus partis, cui uulnus inflictum, conditionem examinet, in ſpecie uaſorum, quibus uis illata, habeat rationem; periculoſiora ordinario ea, quae in laeſione maiorum neruorum, arteriarum et uenarum conſiſtunt: nam ſi in neruis, conuulſionum inſtat periculum, ac medela difficilius et tardius procedit, et illi rite abſolutae ſuccedit haud raro motus deprauatio uel abolitio; ſi maiores arteriarum rami puncti, diſciſſi alioque laeſi modo, non uehemens ſaltem et repentina ſanguinis profuſio perniciem minatur, ſed illi quoque, ob uehementiorem motum et rigiditatem, maxima difficultate conſolidantur; quod attinet ramos maiores uenarum ſauciatos, par eſt fere ratio, niſi, quod non tam cito ſanguis profundatur, quam in laeſione arteriarum, et deinceps facilius effluxus ſanguinis ſiſti et uas uulneratum ſanari poſſit, ſi liber ad Vulnera. Illorum diſcrimen reſpectu partis laeſae.

ad idem datur acceſſus. Hinc ſi non aliunde iam conſtaret Naturae Stahlianae in Chirurgia impotentia, certum clarumque ſatis ſpecimen illius hic haberemus; illi, qui alias maxime audaces atque animoſi, uidentes excreti copiam ſanguinis non ſummo ſaltem percelluntur timore, ſed omnem quoque reconualeſcentiae, quam anxie quaerunt, ſpem amittunt, acquirunt autem iterum eandem, ac prior animi uis moerore fere exhauſta redit, quando conuenientibus applicatis ſtypticis uulnus rite obligatur, atque ulterior ſanguinis effluxus inhibetur.

Cura uulnerum. XXXIIX. Fateri equidem teneor in uulnerum cura, quaedam occurrere phaenomena, quibus Stahliani ad defendendam animae in Chirurgia potentiam abuti poſſunt, ſed fruſtraneo ſucceſſu; perſpicio iam, quae ex illorum ſcriptis, argumenta ſint allaturi; quoties, obiicient, curantur uulnera, abſque ullis adhibitis remediis? quid itaque uaſa diſciſſa conſolidando ſanguinis inhibet effluxum? quid ſolutam fibrarum compagem coagmentando cicatricem inducit? nihil in toto homine, regerunt, reperitur, cui idem meliore iure poſſit attribui, quam animae. Leuiora uulnera, nullis uſurpatis ſtypticis, balſamicis, curari, abſque ulla obiectione admitto; anima uero hic non perficit medelam, ſed protruſus circulatione ſanguinis ad partem ſauciam ſuccus laeſa obducit et conglutinat uaſa, non ſecus ac uidemus teneriores ramos arborum uulneratas, gummoſi affluxu ſucci, abſque ulla principii rationalis directione, generato callo, conſolidari. Si enim mens hic aliquam in corpus haberet poteſtatem, non leuiora modo, ſed maiora etiam, ex quibus grauius uitae imminet periculum, uulnera curaret, nec plenariam uaſorum exinanitionem, et repentinam, quae illam ſequitur, contra ſuam uoluntatem mortem admitteret; ſtyptica requiruntur fortiora, quae uaſa enſe uel globulo plumbeo lacerata obturando, contrahendo, ulteriorem ſuccorum uitalium effluxum inhibent; quo facto, conſolidatio, ea, qua indicaui methodo, perficitur

Innititur ſucci alibilis ſecretione.

Vſu ſtypticorum et balſamicorum.

breui

breui ita temporis ſpatio uulnera maiora uſu pulueris uitriolici in iunioribus curata uidi, tardior erat illius pulueris operatio in ſenibus. Hic merito quaerendum, quae ſubſit ratio, cur Natura Stahliana non tam cito medelam in ſenibus, quam iuuenibus abſoluat; exiſtimarim longo uſu principium uitale et rationale Stahlii in ſenibus edoctum, probe ſcire, artificium cito et feliciter curandi uulnera; forſitan anima Stahliana una cum corpore ſeneſcit et hebeſcit, uel negotii huius nimis frequenter occurrentis pertaeſa eſt; conſiderate fibrarum in ſenibus inertiam a continuo attritu et hinc generata rigiditate dependentem, perpendite gelatinoſae, quo laborant ſenes, limphae, defectum, examinate contrarium, qui in iuuenibus adeſt ſtatum, in promtu erit huius phaenomeni cauſa atque explicatio. Quo molliores enim, quo laxiores partes, eo citius coaleſcentes conſolidantur; uulnera ita carnoſis inflicta organis citius ad cicatricem perducuntur, quam partium membranoſarum, tendinoſarum uel cartilaginearum; inter partes muſculoſas citius ſanantur illarum uulnera, quae copioſo irrigantur ſero; hinc oris et linguae uulnera uelociorem admittunt medelam, quam aliorum inſtrumentorum muſculoſorum; partes cartilagineae felicius, et facilius curantur ſauciatae, quam oſſa; oſſa quo molliora adhuc et humidiora, eo promtius curari poſſunt; callo quippe diffracta oſſis pars obducenda, ad cuius generationem ſufficiens requiritur humiditas, quae, quo magis deficit, eo tardius procedit medela, uti in ſenibus idem offendimus; huc trahenda uerba Hippocratis, qui *lib. de muſculis*, ſequentibus, totam rem explicauit: τὰ χαυνότατα τάχιςα φύεται, τὰ ἐναντία δὲ ἐναντίως.

XXXIX. Quo autem uulnus rite et cito ex praeſcriptis artis chirurgicae legibus conſolidetur, idem ſedata ſanguinis profuſione expurgandum, omnia, quae praeternaturaliter haerent cauitati partis ſauciatae impacta, ſiue ſint metallorum fragmenta, ſiue uitri, ligni, lapidum fruſtula, uel globuli plumbei, ſiue ſanguis extrauaſatus et coagulatus, caro mortua, auulſae oſſium particulae, materia purulenta, extrahenda et ſucceſſiue Cautelae in uulnerum cura obſeruandae.

ceſſiue remouenda. Hiſce peractis, illud, quod periit partim de ſubſtantia ſolida, partim de maſſa humorum, pedetentim noua reſtituendum generatione, quam maxime promouet circulatio ſanguinis omnibus partibus nutritiam apportans limpham, et tubulos ſauciatos contractos, obturatos et fere exſuccos replendo irrigans, irrigando remolliens et nutriens, nutriendo elongans, cui ſuccedit mutuus fibrarum extenſarum ad ſe inuicem acceſſus, et boni ſucci adiumento, conglutinatio. Ne uero gelatinoſi liquoris defectus in ſanguine generetur, ne imminens febris uulneraria in actum emergat, uel iam praeſentia ſymptomata exaſperentur, repudianda remedia acria alcalina, aromatica, et uſurpanda nitrata, abſorbentia, gelatinoſa, cum alimentis et potulentis tenuibus atque aliquantulum gummoſis, decoctis farinoſis, emulſionibus, iuſculis pinguibus, lacte, et ſimilibus. Dum haec ſuſcipiuntur atque ordinantur, partes enſe uel alio ſeparatae inſtrumento applicatis emplaſtris ſtypticis, circumductis faſciis et appoſitis ſpleniis comprimendae, compreſſae uniendae, unitae conſolidandae; uel ſi labia uulneris, quod recens, ſimplex, plenum, purum, tranſuerſum debet eſſe, nimis a ſe diſtent, ita ut non ſufficiant emplaſtra atque unguenta adſtringentia, ſuturis ope accommodatae acus chalybeae et fili cera obducti ab una ad alteram partem protenſis, eadem propius adſe inuicem trahenda, balſamo uulnerario inungenda, et ſuperpoſitis leuibus ſpleniis ſupra ſuturarum nodos, totius uulneris ambitus emplaſtro defenſiuo obtegendus.

Fracturae Definitio.

XL. Ad naturam uulnerum proxime accedunt fracturae, quae haud raro comites illorum ſunt, atque a parte, quae afficitur et laeditur, diſtinctionem mutuantur; ſunt enim re uera fracturae uulnera oſſium, quibus illorum continuitas per uim externam deſtruitur, eaque in magna fragmenta diuiduntur. Si haec ſola, quae commemoraui, abſque ſubſtantiae muſculoſae laeſione, uulnere, contuſione, inflammatione, ulcere offendamus, ſimplex dicitur fractura, compoſita econtra, ſi unum alterumue, uel plura de allegatis malis ſint complicata, uel plures concurrant fracturae. Huc quoque at

alii

aliis refertur fiſſura, alii uero eandem a fractura diſtinguendam eſſe affirmant cum VERDVCKIO Medico et Chirurgo Pariſienſi, dum per fracturam labefactata oſſis unio et diuiſio in plura fruſta intelligatur, quod non liceat animaduertere in Fiſſura. fiſſura, quae oſſis continui ſecundum longitudinem factam ſeparationem denotet. Perinde autem erit, ſiue fiſſurae, uel fracturae rectae et longitudinalis nomine dictam morbi ſpeciem inſignias, ſi modo calleas methodum, eandem tum cognoſcendi, tum curandi; eadem quippe in principio cognitu difficilior, et maximam partem tarde, cum iam altas egit radices, ſe prodit, quod longe aliter ſe habet in fracturis transuerſis atque obliquis, quae illico ex deſtructa laeſae partis functione atque inaequalitate perſpiciuntur, ita ut tam firmitas et figura illius, quam motus uitium capiat. Cum enim oſſa cor- Fracturae ſpecies. poris ſint fulcra, quibus totius machinae compages ſuſtentatur, uel uti loquitur GALENVS *lib. de oſſibus*: σκληρότατά τε καὶ ξηρότατα τοῦ ζώου μόρια, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις, γεωδέστατα, ὑποβέβληται δὲ καὶ οἷον ὑπερήρεισται τῇ λοιπῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ, καθάπερ τινὰ θεμέλια· πάντα γὰρ ἐπὶ τοῖς ὀστοῖς πέφυκέ τε καὶ Oſſium munus. ἐστήρικται, hinc ratio eſt in promtu, cur oſſibus diffractis, partium, quas ſua ſubſtantia fulciunt, rectitudo, firmitudo et motus aboleatur, atque in ſpecie muſculorum contractorum libera impediatur expanſio, iique ex debito decurbentur ſitu, atque ipſum membrum, cuius os laeſum, accurtetur, intorqueatur et deformetur, perioſteum tam internum, quam externum cum membrana medulloſa, medullaque ipſa, comprimatur, contundatur, uellicetur, uel penitus laceretur, immanis dolor, uehemens inflammatio, truculenta conuulſio oboriatur, eaque male curata gangraena, ſphacelus et mors ſequatur.

XLI. Plures quidem fracturarum ſpecies, pluribus iiſque Ad fracti oſſis conſolidationem requiritur. diuerſis inſignitas nominibus, a uaria fragmentorum figura, magnitudine et multitudine, uario fracturae modo, uariaque oſſis fracti indole deſumtas, quales fracturae κατ᾽ ἀπόθραυσιν, εἰς ὄνυχα, ἀλφίτιδον factae, TAGAVLTIO, GVIDONI DE CAVLIACO, FABRICIO AB AQVAPENDENS occurrentes, recenſere poſſem, ſed, cum nullum exinde emolumentum, praeter

chartae et temporis iacturam expectare queam, his derelictis ad praeceptorum propero explicationem, quae legitimam fracturas ſanandi methodum ſuppeditant. Fracti autem consolidatio oſſis, omniumque, quae in antecedentis fine capitis enarraui, ſymptomatum propulſio, fragmentorum in locum naturalem, extendendo, reſtitutione, reſtitutorum in eodem ſitu, ope faſciarum, ſpleniorum, ferularum, retentione, retentorum, firma, generati adiumento calli, unione innititur. Si oſſa fracta uel potius fiſſa ex natiua ſede non ſint deturbata, prouti in fracturis longitudinalibus obſeruamus, prima ceſſat indicatio, et prima dehinc operatio, nempe extenſio, locum non habet; ſin autem fragmenta ex ordinario remota loco in latera diuergant, expanſio, ad debitam longitudinem et mutuam fractorum fruſtorum adaptationem promouendam, neceſſaria eſt, eaque nunc maior, nunc minor debet eſſe, prouti fracti fragmenta oſſis magis minusue a ſe inuicem diſtant.

I. Extenſio. II. Repoſitio. III. Firma unio.

Cautelae in inflammatione partium fractarum.

XLII. Haec, quemadmodum in principio huius morbi, quando pars affecta, adhuc ab inflammatione et tumore libera exiſtit, recte fiunt optimoque ſuſcipiuntur conſilio, ita eadem, cum membrum laeſum iam inflammatum tumoreque affectum, omittenda, et allegatis reſiſtendum ſymptomatibus, iiſque demum profligatis, ad ea, quae antecedenti commendaui theſi, confugiendum, alias, ſi hoc non accurate obſeruamus, facili negotio, febrem continuam ſymptomaticam, conuulſiones, gangraenam, ſphacelum accerſire poſſumus, quibus aegroti correpti debitum naturae, contra Naturae Stahlianae uoluntatem, praemature reddere tenentur.

Fracturae ab oſſium carie periculoſae.

XLIII. Eo magis autem ex truculentorum illorum ſymptomatum ſyndrome mortis imminet periculum, quando oſſa diuturna carie ex luis uenereae reliquiis eroſa abſque uiolentia externa diffringuntur et partium internarum gangraenam comitem habent; cum enim nulla reperiantur medicamenta, quae exeſam et conſumtam penitus oſſium ſubſtantiam poſſint reparare, hinc quoque hic Naturae Stahlianae ſanandi artificium deficit; oſſe autem carioſo et fracto, cum parte ſphacelata, reſecto, ac reſidua et ſana accurtati membri parte rite

cura-

curata, reliqua totius machinae compages integra adhuc conſeruari poteſt; en egregium denuo Animae, Principii Vitalis Stahliani conſeruantis et ſanantis ſpecimen, quod conſeruat deſtruendo, ſanat corrumpendo.

XLIV. Aduerſum porro Naturae Stahlianae dignitati, contrarium illius prudentiae, quod fracta ſenum oſſa difficulter et tarde conſolidet, cum citius dicti morbi medela in iuuenibus abſoluatur; uerum, quid inſontem amplius accuſo Animam, eidem inuitae haec omnia tribuit Stahlius. Quo minus autem ullus de huius rei certitudine ſcrupulus in cuiuſdam animo remaneat, reſpiciendum erit ad diuerſam oſſium in ſenibus et iuuenibus conſtitutionem; cum enim, uti *capite 39.* iam euictum, partes, quo molliores, teneriores et ſucci pleniores, eo citius laeſae coaleſcant, dehinc et ſtupidiſſimus perſpicere poteſt cauſam, ob quam fracturae iuuenum citius, ſenum tardius curantur, nam ad fractorum oſſium conſolidationem non modo mutua et naturali ſtatui ſimilis fragmentorum combinatio requiritur, ſed ut eadem denuo coaleſcant, eſt neceſſarium, hoc autem calli ope promouetur, ad cuius generationem ſufficiens alibilis limphae quantitas deſideratur, quae deficit in ſenibus, abundat in iuuenibus. Eo modo habet ſe res non in diuerſae modo ſubiectis aetatis, ſed idem in diuerſorum oſſium fracturis unius eiusdemque perſonae obſeruatur, quae, uti mollitie, teneritudine atque aliis ſimilibus accidentibus differunt, ita eadem diffracta nunc breuiore, nunc longiore temporis interuallo conſolidantur, quod probe perſpexit Hippocrates, qui diuerſorum oſſium fracturis, diuerſum dierum numerum illorum medelae neceſſarium tribuens ſequentia *lib. de aliment.* in medium affert: *ῥινὶ δὶς πέντε, γνάθῳ καὶ κληῖδι καὶ πλευρῇσι διπλάσιαι, κνήμῃ καὶ βραχίονι τετραπλάσιαι, μηρῷ πενταπλάσιαι.*

In diuerſa oſſium conſtitutione latet cauſa tardioris et citioris medelae.

XLV. Eandem differentiam, eandem Naturae Stahlianae impotentiam in curanda luxatione, quae externi oſſis ex naturali ſua cauitate, in qua mouetur, receſſum, cum motus impedimento denotat, deprehendimus; difficilior enim, imo manca mutilaque medela, ſi eadem a ruptis oritur ligamentis, facili-

Luxatio.

 or

or econtra, ſi cauſa in eorum laxitate et praeternaturali diſtenſione conſiſtit; tardior porro et magis ardua ſanatio, ſi e ſinu ordinario penitus receſſit os, quod uitium luxatio κατ' ἐξοχὴν appellatur, celerior uero eadem et promtior, quando aliquantulum ſaltem partis fulcrum ex naturali ſitu dimotum eſt, unde diſtorſio; maior in medela luxationum remora, ſi illa excidunt oſſa, ad quorum cauitates et ligamenta maior ſeri copia affluens ſecernitur, minor, quando ex ſeri in illis defectu ſubſtantia tendinoſa rigidior oſſis in locum natuıalem repoſitioni et retentioni fauet; Τῶν χωρίων, inquit HIPPOCRATES *Lib. de muſculis.* μασχάλαι δυσιητότεραι, καὶ κενεῶντες, καὶ μηροὶ. ὑποςάσιες γὰρ ἐν αὐτοῖσι γίνονται καὶ ὑποςροφαί.

Varia illius phaenomena.

Methodus curandi luxationes.

XXVI. Hae itaque circumſtantiae in luxationum medela rite et cito perficienda probe attendendae; pars enim luxata, ordinariae redaptando ſedi, reponenda, repoſita retinenda, retenta firmanda; quo uero idem, quod modo innui, obtineamus, ſerum abundans, quod laxitatis exiſtit autor, per interna externaque reſoluentia remouendum, ligamentis diſtentis, quibus oſſa annexa ſunt, legitima firmitudo et rigiditas reddenda; his peractis, pars e naturali dimota loco mouenda et ita dirigenda, ut e diametro ſuae reſpondeat, ex qua prolapſa eſt, cauitati, in quam deinceps per intorſionem, truſionem, pulſationem protrudenda, protruſa quietis et faſciarum ope conſeruanda, conſeruata applicati emplaſtri adſtringentis ſubſidio, roboranda.

Ani occluſio.

XLVII. Clarius adhuc Naturae Stahlianae in Chirurgia impotentiam exemplo ani imperforati cognoſcere poſſumus; infantes enim quandoque natos fuiſſe, in quibus inteſtini recti finis occluſus fuit, uel ani loco exiguum foramen, tenuiorem uix admittens ſtylum, labiorum in ſexu ſequiore frenulo uicinum adfuit, plures hiſtoriae BENIVENIO *de abditis cap. 30. M. N. C. D. 1. A. 1. obſ. 11.* occurrentes probant. Hanc autem membranam uel uiam deuiam illiusque anguſtiam ab anima eſſe inductam, ſanae contrarium rationi, cum hoc modo impedita fecum aluinarum excluſione, non ſanitas modo, ſed ipſa etiam uita deſtruatur. Ad praecauendam porro mor-

I. Illius cauſa et ſymptomata.

tem ex hoc uitio imminentem omnis animae meditatio fruſtranea, omnis illius opera inanis, membranae anum occludentis requiritur remotio, quae, ſi tenuior, digiti perforanda apice, ſolidior uero et robuſtior cultello diſcindenda, introitus aperiendus, apertus, immiſſa turunda balſamo uulnerario obducta, pro libero excrementorum exitu ſeruandus; turundae quoque, primum minoris, deinceps maioris applicatione foramen nimis anguſtum ſucceſſiue dilatandum.

XLIIX. Ars itaque, non Anima, dicto morbo, illius auferendo cauſas, medetur, atque ubi Artis uires non ſufficiunt, paſſio quoque medelae expers relinquitur, uti ani clauſura, cuius M. N. C. D. 3. A. 1. obſ. 123. fit mentio, demonſtrat. Dehinc quoque modus curae ſecundum uarias praeſentis, de quo agimus, affectus cauſas uariandus; aliter quippe procedere decet, ſi ſphincter ani carnis luxuriantis copia tumens liberum exitum aluinis denegat fecibus, quale exemplum habet Benivenivs *l. c.*; mutanda iterum methodus, ſi inteſtini recti ad inſtar funis contorſio peccat; qualem hiſtoriam M. N. C. D. 1. A. 3. obſ. 2. inuenimus; idem tenendum in illius partis poſt ulcera conglutinata coalitu, uel inducta ab haemorrhoidum coecarum inflammatione, tumore, anguſtia, atque obturatione, uel ſpaſmodica ſphincteris conſtrictione. *Diuerſa antecedentis mali origo.*

XLIX. Vitium ani, quod modo delineauimus, ſaepius quoque afficit glandem, quae foramine deſtituta, auriae, et niſi tempeſtiue opem feramus, mortis exiſtit cauſa, ad hanc itaque tollendam et mortem praecauendam, in glandem, aegroto ſupine collocato, exiguum cultellum anguſtiore inſtructum cuſpide, cauta agilique manu immittendum, eoque obſtaculum glandi inhaerens deſtruendum, euitatis ſedulo partibus lateralibus muſculoſis, quas ſauciatas moleſta ſequitur haemorrhagia. His, quae modo praecepimus, rite abſolutis, penicillus epulotico inunctus immittendus, quo partis ſauciatae conſolidatio promoueatur, et libera pro urinae excretione uia conſeruetur. In praeternaturali uero partis, de qua iam agimus, anguſtia, per immiſſam turundam ex medulla *Glans imperforata perforanda.*

ſam-

ſambuci compreſſa confectam atque unguento roſaceo obductam, pedetentim meatus dilatandus.

Operationes chirurgicae ſunt mere mechanicae.

L. Vberior adhuc mihi ſuppeteret materia, meam, ſi omnes morbos atque operationes chirurgicas] perquirere uellem, confirmandi ſententiam. Docet idem trepanatio, cataractae depoſitio, auris perforatio, lithotomia, dentium extractio, dentagrae curatio, uuulae et aliarum partium ſphacelo affectarum reſectio, labii leporini ſanatio, bronchotomia, colli incuruati reſtitutio, mammae carcinomate laborantis extirpatio, capitis, thoracis atque abdominis paracentheſis, teſticuli gangraenoſi medela, catheteris in obſtructione urinae applicatio, urinae incontinentia, diuerſae illius cauſae diuerſa medendi methodus, phimoſis, paraphimoſis, ſpina uentoſa, ſutura tendinis, tranſfuſio ſanguinis, uariae inflammationum ſpecies, gangraena, ſphacelus, ambuſtio et plura alia.

Methodus docendi Chirurgiam.

LI. Sed horum omnium explicationem, cum res ſatis iam ſit perſpicua, ſuperioribus contentus demonſtrationibus tranſeo; nam, cum a POTENTISSIMO AC SERENISSIMO DOMINO, DOMINO, **FRIDERICO AVGVSTO**, SARMATARVM REGE, PRINCIPE ELECTORE SAXONIAE, et reliqua, **DOMINO MEO** LONGE CLEMENTISSIMO, mihi munus publice docendi in hac Academia Chirurgiam, clementiſſime ſit demandatum, de eo cumprimis occupatus fui, ut euitatis, quibus a ſolidiore Chirurgiae cultura arcemur, remoris, ad ea deducam diſcentes, quibus tandem aliquando aegrotis ſatisfacere queant. Singulas itaque machinae humanae partes, ordine anatomico, cum earum fabrica et uſu, explicabo, his deinceps adiungam morborum, qui tam ad Medicos quam Chirurgos pertinent, theoriam, cum adiecta methodo eosdem cito et tuto curandi.

(o)